



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Vniversalis Historiæ Ecclesiasticæ Medvlla**

**Pareus, Daniel**

**Francofurti, 1633**

Hæretici.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64973](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64973)



etiam ethnicos & Iudæos in libris de præparatione & demonstratione Euangelica. Reliquit quoque Chronologiam, quæ à natali Abrahami, vsque ad annum Christi 326. deducta, annos comprehendit 2347. Obiit circa annum Domini 340.

### HÆRETICI.

**B**Reui tempore post Apostolos, pestilentes & horrendas hæreses Diabolus in Ecclesiam Christi publice disseminauit, vt Deo agrefaceret, & plurimos à vera doctrina abalienaret.

Saturninus, à quo Saturniniani, cœpit innotescere temporibus Hadriani Imperatoris, cum eiusdem blasphemix socio Basilide, circa annum à Christo passo centesimum: cum Barcochoba quidam Iudæus, homo seditiosus, in Syria grauissime Christianos iam afflixisset, & Dux suæ genti fuisset, atque incentiuum ad corripienda contra Romanos arma. Vnde totius Iudaicæ gentis pene internecio accidit. Certe inde contigit ea dissipatio & dispersio per vniuersas orbis regiones, in qua nunc miserima versatur. Fuit autem Antiochenus Saturninus, qui ita cum Basilide officia partitus est, vt ipse in Syria venenum suum efflaret, & eo Syros, homines leues, imbueret: Basilides autem illud in Ægypto spargeret, & vicinis regionibus.

Dura-



Duravit hæc hæresis Saturninianorum & Basilidianorum aliquo tempore, & viguit, donec novis Valentinianorum, qui subtiliores habiti sunt deliriis & commentis exploderetur, ita nimirum sese mutuo confodientibus hæreticis, iusto Dei iudicio, & extinguentibus. Quare Simonianorum pestis & hæresis prope sola, siue suo ipsa nomine, siue alieno, & interpolato Menandrianorum & Saturninianorum prope per centum annos in orbe grauissime grassata est; postea vero aliis exorientibus sepulta. Quis Saturnini & Basilidis vitæ exitus fuerit, non est annotatum à scriptoribus.

Carpocrates, à quo Carpocratiani, fuit Ægyptius, genere Alexandrinus. Vixit sub initio imperii Antonini Pii. Platonis dicta & ampullas Euangelicæ veritati magno fastu præposuit. Ex nulla autem secta tantum odii in Christianos conflatum est, quantum ex ista Carpocratianorum: propter turpes & nefandos ipsorum mores. Grassata est hæc pestis non in Ægypto tantum, sed & in Asia, & Romæ, nomine Gnosticorum. Retenta tamen est aliquandiu, & sustentata ipsa suo nomine & appellatione post Carpocratem ab Epiphane, filio Carpocratis, qui doctus inter Platonicos habitus est. Epiphani successit in eadem secta Prodicus quidam. Hic vero excudit & ipse nouam hæresin Adamitarum.

Valentinus, à quo Valentiniana hæresis cognominata est, fuit natione Ægyptius, & Ale-



A 1  
 xandriæ literis Græcis institutus, Platonius & Pythagoricus potius euasit, quam Christianus. Vixit sub Antonino Pio Imperatore. Carpocratis & aliorum erroribus imbutus, postea huiusmodi venena acuit, & nocentiora fecit. Romæ etiam vixit aliquandiu, vbi hæc hæresis diffusa est, & inde Gallias suo veneno afflauit: Maxime tamen in Ægypto viguit. Perstiterit autem hæc hæresis tum suo vero, tum etiam mutato nomine, in multa sæcula, & vniuersum terrarum orbem vexauit. Nam quæ secutæ sunt, eas tantum exædificauit blasphemiarum moles, quarum semina longo ante tempore hæc iecerat. Successores autem & collegium magnum habuit, in quo præcipui hi recensentur; Secundus, Ptolemæus, Marcus, Colarbasus, Heracleon, Cerdon, omnes infelices ex infelici arbore rami. Hi omnes a Valentino, tanquam ex fætida fornace, incendiarii prodierunt.

Secundus, à quo Secundiani, primarius Valentini discipulus, & scholæ successor in Ægypto fuisse perhibetur. Vt autem magistro ingeniosior videretur, quædam in accepta à Valentino doctrina immutauit, quædam magis obscurauit, quædam etiam addidit.

Ptolemæus, à quo Ptolemiani, secundi contemporaneus, vixit Irenæi ætate, & in Occidentis partibus notior videtur fuisse, vti secundus in Oriente.

Magna autem in existimatione hunc fuisse, vel ex eo apparet, quod totius Valentini-  
 niano-



nianorum scholæ flos & corculum, vt ait Irenæus, diceretur:

Heracleon, à quo Heracleonitæ, videtur in Ægypto vixisse, ex malo Valentino coruo malum ouum: Fuit coæuus Ptolemæo hæretico. Eius hæresis proprio nomine non stetit diuturna.

Cerdo impostor, vixit sub Antonino Pio Imp. & totos 38. annos bellum aduersus Christum gessit. E Syria profectus est Romam, vbi venenum suum sparsit. Fuit nefarii erroris de tollenda & perneganda humana Christi natura primus author. Ab hoc postea pestilentem halitum Marcionitæ biberunt, & traxerunt.

Marcus, à quo Marcitæ, ex Valentinianæ viperæ alio procreatus est. Nouam sectam ambitiose parturiens tandem edidit, in quo maiorum suorum, & ipsius adeo Valentini improbitatem, superauit: Magicis artibus doctrinam suam confirmare voluit. Tam late serpsit hoc infelix lolium, & pestiferum gramen, vt Ægyptum, Asiam, & Galliam tabe sua infecerit. Vnde Antichristi præcursor hic fere primus appellatus est.

Referunt autem huius hæreseos initia in annum Antonini Pii Imperatoris nonum. Vt autem latissime vagata est, plurimumque nocuit hæc hæresis; ita diutissime, sed interpolato nomine, fuit retenta & sustentata. Pululauit enim maxime, & Colarbasios, Ascodruas, Archoaticos, Ophitas, & alios hæreticos, tanquam vipera nocentissima fœtus crudelissi-

H. 5. mos.



mos profudit; qui omnes in DEI Ecclesiam pessime, tanquam in matrem, suis erroribus sunt grassati.

Colarbasus, à quo Colarbasii, homo fuit obscurus, Marci condiscipulus: eiusque secta statim concidisse videtur. In Catalogo tamen recitata est, ut quam variè à Satana vexata sit Ecclesia, & oppugnata doctrina Christi, intelligeretur.

Gnostici fuerunt omnium mortalium in dogmate fœdissimi, & Nicolaitis turpibus magistris, longe tamen ipsi turpiores. Unde variis se nominibus, & sæpe de industria mutatis insinuarunt & texerunt, ne execrabili Gnosticorum nomine noti, statim ab Ecclesia exploderentur. Nec vlla fuit vnquam hæresis, quæ tot tamque diuersis appellationibus se interpolaret, & celauerit, aut quæ se in plures sectas & particulas citius dissecuerit. Cœperunt maxime sub initium imperii M. Aurelii Antonini Philosophi, & L. Veri, Imp. Rom. Durauit autem Gnosticorum hæresis multis seculis, tum in Asia, tum maxime in Ægypto; ex qua Valentinianorum primum, post Manichæorum, deinde Priscillianistarum Iernæ & hæreses disseminatæ sunt, & natæ.

Ophitæ, siue Ophei, & Ophiomorphi, à Gnosticis & Valentinianis, tanquam è cœnoso fonte impurissimus riuus, fluxerunt. Viguit hæc hæresis maxime in Ægypto, & durauit usque ad tempora Iustiniani I. Constantinopolitani.



tani Imperatoris. Colebant serpentem illum, per quem Eua primum decepta est, tanquam is fuerit Christus.

Origeniani cœpisse videtur paulo post Gnosticos. Habitu & professione monasticæ vitæ se plurimum commendarunt.

Cainitæ, siue Caini, circa annum à Christo passo 132. sic dicti sunt, quia Cainum, Sodomitas, Core, Dathan, Abiram, & Iudam proditorem saluos esse docuerunt, & nominatim Cainum adorarunt. Tertullianus scribit, hanc hæresin ortam & propagatam esse, tanquam infelicem surculum, ex infausta Nicolaitarum stirpe. Epiphanius, ex Gnosticis & Carpocrate. In plures sectas postea diuisa & diducta, Cainorum nomen amisit. Corripit Asiam potissimum.

Adamiani, Sethiani, & Abelianii, fuerunt omnes infelicissimæ Valentinianorum stirpis, & radicis sarculi, qui, quamuis dissimiles, pari tamen ratione impulsæ à veritate deflexerunt. Hæ tamen hæreses non late vagatæ sunt, sed pene in ipsis cunis extinctæ conticuerunt, & perierunt.

Marcion, à quo Marcionitæ, fuit Cerdonis discipulus, lupus Ecclesiæ, & primogenitus Diaboli. Eius hæresis cæpit innotescere sub M. Antonino Philosopho Imperatore: & Romam ipsam, Italiam, Ægyptum, Thebaida, Arabiam, Palæstinam, Cyprum, denique Persidem, remotissimam gentem, peruasit hoc ve-

H. 6      nenum.



nenum. Multas etiam hæreses, vti vipera viperas peperit, & successores scholæ plurimos audacissimosque homines habuit, inter quos hi fuere primi & præcipui: Lucianus quidam, Potitus, Blastus, Synerus, Prepo, Pithon, Hermogenes, Aser, Apelles, & alii.

Noetiani, ex Simonianorum fæce & cœno sua venena sumpserunt. Innotuerunt circa annum à Christo passio 140. sub M. Antonino & L. Vero Imp. Roman. annis pene 84. antequam à Sabellio eorum error recoqueretur. Dicti sunt Noetiani à Noeto Smyrnæo.

Tacianorum hæresis cœpit Romæ sub M. Antonino Philosopho Imp. & partim ex Valentinianorum errore, partim ex Marcionitarum dogmate, partim etiam ex Simonianorum deliriis conflata est; velut hydra ex pluribus capitibus. Peperit eadem hæresis Aquarios, Encratitas, Valesios, & Apostolicos. Roma in Asiam delata est; & Antiochiam Syriæ, Mesopotamiam, Pisidiam, Pamphyliam, & vniuersam pene minorem Asiam peruasit: denique infelicissime & sæuissime in Phrygiam & Galatiam grassata est, vbi tandem etiam pessimum fructum, & sobolem viperinam, nimirum Montanistarum litem & hæresin peperit. Sectam instituit Tacianus, Iustini Martyris discipulus; natione Syrus, è Mesopotamia, in ethnicorum philosophia apprime doctus, Rhetor magnus, qui aliquot suæ eruditionis monumenta reliquit.

Bar-



Bardesanes, à quo Bardesiniaestæ, fuit Syrus è Mesopotamia regione oriundus, & Edessa vrbe. Christianam religionem primum profitebatur, in qua sic excelluit, vt aduersus Marcionitas etiam scriberet, atque illius libri probarentur ab Ecclesia. Erat enim & Hebraice & Græce doctus. Postquam autem L. Verus Imperator in Orientem venit, & Babylonem vsque progressus, Magos & Mathematicos secum ex illis locis abduxit, quorum apud eum magna erat authoritas, & frequentes de astrorum influentiis, & potestate disputationes: euocatus ab Imperatore propter doctrinam insignem Bardesanes, Abidam quædam, summum fati propugnatorem, audiuit, cuius argumentis falsissimis cedens, fatum probauit, & ad alia paulatim deliria delapsus, omnia in religione confudit: denique Christianæ fidei naufragium fecit. Viguit autem in Syria & Oriente maxime Bardesanis error, qui vix in Occidentalibus Ecclesiis notus fuit, nisi quod eum postea Priscillianistæ in Hispaniam vsque propagarunt, sed multis post seculis.

Cataphryges dicti etiam sunt Montanistæ, Tascodrongitæ, spirituales, Pepuziani, & Quintilliani. Huius veneni, quod tota hæc secta bibit, propinator & author fuit Montanus, Phryx, qui Encratitarum fermento foetido corruptus, suam & ipse sectam priuarim habere voluit.

Artotyritarum lues quo tempore primum extiterit, & quamdiu grassata sit, quibus item successoribus defensa, dici non potest, quia pau-



ei omnino huius hæreseos meminerunt. Verisimile est, eos fuisse schismaticos Pepuzianorum.

Apotolici, qui à Latinis appellantur Apotolitæ, fuerunt stirpis Encraticarum siue Tatianorum infelix propago, & amara fruticatio, quæ suas & ipsa radices egit, multosque postea palmites produxit inauspicatos. Hæc hæresis vniuersi Monachismi, in primis autem fratrum Mendicantium fundamentum est.

Apellitæ, à suo Principe Apelle, auditore & sectatore Marcionis, floruerunt sub Commodio Imperatore. Non videtur diu perstitisse horum virus. Noua enim nouorū ex eadem Marcionis schola hæreticorum successione nomen Apellitarum extinctum est. (tarum.

Rhetorianorum hæresis fuit furculus Apelliarum hæresis cœpit sub Commodio Imp. Fuit Valentiniæ seminis seges & propago terribilissima, quæ in Occidente, & Romæ præsertim, omnia labefecit. Dicti sunt à Floriano, Ecclesiæ Romanæ presbytero.

Seueriani exorti sunt sub Commodio Imper. Dicti sunt à Seuero, Apellis in schola Marcionitarum successore. Hæc hæresis agmine aliarū hæreseon eodem tempore nascentium ingruente suffocata est, & velut in cunis extincta.

Hermogenianorum hæresis extitit sub Seuero Imp. circa annum à Christo passo 177.

Theodotianorum hæresis diutissime durauit, interpolato & renouato à Paulo Samosateno & Ario postea pessimo dogmate. Huius hæreseos parens & author fuit Theodorus, Byzantinus & Thrax.



Thraxnatione, arte Coriarius, Græcorum tamē  
literaturæ non imperitus, Artemonis primarius  
discipulus. Vixit sub victore Ro. Ep. & Sev. Imp.

Tertullianus, à quo Tertullianistæ, Presby-  
ter Carthaginensis, ad Cathaphrygum seu Môn-  
tanistarum deliria & dogmata tandem delapsus,  
& ipse hæreticus fuit, & in Orthodoxos debac-  
chatus est. Eius hæresis in Africa viguit, & Car-  
thagine potissimum, vnde oriundus erat.

Elcesaitarum hæresis cœpit sub Gordiano  
Imp. circa annum à Christo passo 210. Duravit  
ad tempora vsq; Epiphanii, qui vixit sub Theo-  
doso iuniore. Huius erroris author fuit Elcesai,  
qui Christianam fidem & nomen ementus est,  
quum vtrumque oppugnarit apertissime.

Valesii extitisse & primum innotuisse viden-  
tur post Origenem, cuius seculo variæ per vni-  
uersam Arabiam hæreses ortæ sunt.

Arabicorum hæresis cœpit sub Philippo Imp.  
circa annum à Christo passo 217. Origene iam  
noto & celebri, qui ad hos hæreticos confutan-  
dos euocatus est, tantumq; disputando effecit,  
vt non modo conquiescerent, sed etiam muta-  
rent sententiam, erroremque suum reuocarent.  
Itaq; statim siluit & extincta est hæc hæretico-  
rum secta, & pene grassata est in sola Arabia, quæ  
ferax fuit hæreseon, quemadmodum & illi vici-  
na Ægyptus.

Nouatus hæreticus, à quo Nouatiani, inno-  
tuit tempore Cypriani, Carthaginensis Episc. &  
Decii Imperatoris, circa annum à Christo passo  
220. Virus suum in Africa primum post perfec-  
tionē Decianam sparsit. Ex Nouatianis profecti



sunt Cathari; quæ hæreses ita inter se differunt, ut fons à riuo, ut mater à filia. Cyprianus multa edidit aduersus hunc Novatum, qui tantum nominis celebritate valuit, ut etiam à Cornelio Episcopo Romano Ecclesiæ presbyter crearetur. Sed Nouatus ad Episcopatum aspirans, dolore repulsæ, nouum suum & certe perniciosissimum dogma in Ecclesiæ exitium cudit.

Nouatianus fuit Romanus natione, Nouati discipulus, qui præceptoris lethiferum venenū latissime propagauit, & furtim à tribus Episcopis, inprimisque ab ipso Nouato, creatus est in Italia Episcopus. Durauit hæc hæresis Nouatianorum diutissime, adeo ut sub Arcadio Imperatore etiam continuatione quadam floruerint. Tandem variis Iohannis Chrysofomi Constantinopoli, Cyrilli Episcopi Alexandria, & Innocentii I. Romæ, disputationibus & concionibus exagitati & refutati delituerunt. Recepta tamen est hæc hæresis & repetita, interpolato nomine à Pelagianis.

Sabelliani nihil aliud fuerunt, quam Noetiani, nouo nomine donati: sed Sabellianorum nomen inualuit, Noetianorum statim extinctum est, siue quod huius dogmatis & scholæ discipuli Sabellianos se dici maluerint, seu quod Sabellius, Afer natione, doctior acuriusque in hoc errore defendendo visus huic sectæ nomen dedit. Cœpit Sabellianorum nomen innotescere sub Sixto, Romano Pontifice, durante adhuc Deciana, vel potius Valeriana iam persecutione, circa annum à Christo passio 224. Propagatus est  
hic.



hic error latissime, adeo ut ex Africa statim Mesopotamiam inuaserit, denique Romam ipsam. Perstitit autem diutissime, in Oriente & Asia maxime, quando plures Episcopos, etiam ætate Constantini Magni, Sabellianos, & Sabellianizantes fuisse, annotat perspicue Socrates, libr. I. hist. c. 24.

Origenistæ hæretici appellati sunt ab Origene Adamantio, dicti sunt etiam Nepotiani, à Nepote quodam Ægyptio Episcopo, qui Origenis errores postea tutatus est acerrime. Cœpit hæc hæresis post Cyprianum iam mortuum, & post Origenem etiam ipsum defunctum, Gallieno imperante, Xysto vero Romano Pontifice, circa annum à Christo passo 227. Peruasit vniuersam Ægyptum, Syriam, Asiam, sed & Constantinopolim imprimis labefecit. Permanfit etiam diutissime, & plus quàm per 334. ann. continua successione & propagatione sustentata est: quando etiam sub Imperatore Mauritio & Gregorio Magno, Pontifice Romano, adhuc exstabant Origenistæ.

Post Nouatum, Sabellium, & Origenem, exiit Paulus Samosatenus, Antiochenæ Ecclesiæ Episcopus, homo ambitiosus & fastuosus, teterimaque religionis Christianæ pestis: cuius errorem qui amplectuntur, dicti sunt Pauliani, & Samosatensiani. Cœpit hæc hæresis nomine Samosatensianorum innotescere sub Gallieno Imperatore, & Xysto Romano Pontifice, circa annum à Christo passo 232. quæ diutissime, sed interpolato & murato postea nomine, permanfit:



fit : quando Ariani ipsi fuerunt huius radicis amarissimæ tantum surculi quidam , vel riuuli male illi quidem & fœde olentes. Latissime etiam disseminata est, quando Arianismus & Mahometismus, qui sunt inde orti, sese postea in vniuersum terrarum orbem diffuderunt , & omnia contaminarunt.

Manichæorum hæresis maximus & præcipu<sup>9</sup> Mahometanismi, qui postea securus est, & fons & origo merito censeri debet , siue dogmatum vesaniam, siue modum nascendi, & rationem spectes. In eo enim conueniunt Manichæismus & Mahometanismus, quod vterque primum abs Saracenis & Arabibus profectus est. Nam de Mahumete dubitari non potest, quem Arabes & Saracenum fuisse, fatentur omnes. Manichæismum autem, id est, eum errorem, quem Manes Persa postea fortissime defendit, primus inuexit Scythianus quidam nomine, mercator Saracenus, qui vt suam blasphemiam aliqua ratione commendaret, Hierosolymam venit, tanquam ibi ex Dei ipsius ore eã accepisset. Quod ipsum postea, vt suum Alcoranum melius hominibus propinaret, fecit Mahometus. Scythianus autem domus suę ruina oppressus misere perit. Discipulum autem & successorem doctrinæ suæ habuit quendam nomine Buddam, cognomine Terebinthum, qui & ipse à sathana insolitudinem abreptus, strangulatus est. Buddæ successit Manes, mastigia & præstigiator infanus, qui, quod huic occultum adhuc errorem in lucem produxit, primus huius hæreseos parēs & au-



& author creditus est. Ab eo, qui secuti sunt hæretici, Manichæi dicti sunt. Cœpit autem hæresis Manichæorum nomine innotescere, sub Aureliano Imperatore, & Felice Romano Episcopo, circa annum à Christo passo 247. Latissime vero citissimeque propagata est. Nam ex Arabia statim in Mesopotamiam & Persidem delata est. Ex Perside in Syriam rediit, & in Ægyptum, Africam, Hispaniam, Galliam, mare traiecto penetravit. In Asia etiam, Paphlagonia, & reliquis orbis partibus multos infecit. In Arabia tamen, Persia, & Ægypto, maxime viguit, & diutissime substitit: vnde postea Mahumetiūmus, tanquam ex serpentis viperæque ouo enatus & exclusus, Neq; vlla fuit Acherontis cauerna, vnde tot repente pestes prodierint, quam ex infernalibus vnus Maneris faucibus. Fuit autem Manes, natione Persa, qui, postquam multos in fide labefactasset, adeoq; suis incantationibus Regis Persarum filium necasset, viuis ab eo excoriatus est, sicque, insignis illa humani generis pestis tandem periit.

## CONCILIA, SIVE SYNODI.

Post Apostolorum tempora ad decidendas controuersias Ecclesiasticas congregatæ sūt sæpe Synodi, etiam ante Nicænam: verum illæ Synodi quasi particulares aut prouinciales habentur; quia feruente persecutione Christianorū generales synodos cōgregare n̄ licebat. Prima cēturia post natū Christū exortæ hærefes absq;  
Conci.